St. Dr.

59495

III

Poręcki Tom,

Rajecki Constantini Casimiri: Triasmus epicriticus analegomatum ex universa Philosophia.


יהוה
Sentio qua vehar ope.
Inferiora minus moror.
Nec intempestiuè
Nec inauspicato.
Sic depluo in hostes.
Et flare scimus et cessare
confundimur.

TRIASMVS EPICRITICVS, ANALEGOMATVM,

EX VNIVERSA PHILOSOPHIA,
AD MENTEM D. THOMÆ, DOCTORIS ANGELICI,
CONFORMATVS.

ET

ILLVSTRISSIMO DOMINO,

D. JANVSSIO
SKVMIN TYSKIEWICZ
PALATINO VIL-
NENSI,
BRACLAVIENSI, IVRBORGENSI,
NOVOVOLENSI, &c. &c.
CAPITANEO,

A

CONSTANTINO CASIMIRO RAIECKI,
Juris, & Philosophiæ Auditore, oblatus. Ac in peraugusto Academiæ Crac: D. Jagiellonis Lycæo publicè ad disputandum propositus.

PRÆSIDENTE V. M. IOACHIMO SPERONOWIC,
Coll: Maiore, Can: S. ANNÆ, Cursus eiusdem
WLADISLAVIANI Professore.

Anno à partu Virginis 1641. Mense Augusto
Die Hora pomeridiana.

CRACOVIÆ,
Jn Officina Typographica STANISLAI BERTVTOVIC.

EPIGRAMMATA

IN STEMMA DOMVS TYSZKIEVICIANÆ.

Ardua; ad æthereos protendit Luna penates,
Cornua: pro meritis præmia ferre cupit.
Stella super mediam consistens: lumine terris
Dum adstamus propiùs gratificemur ait.
Sidera sunt astris, sequitur sua Cynthia Phæbum
Prosimus Patriæ dum pia fata iubent.

ALIVD.

Aurea cœlestis circumspice cornua Lunæ,
Et faciem stellæ, lumine conspicuam.
Non; TYSZKIEVICII genij, moritura trophæa
Collige, qui nomen, rem generisq; notas;
Ignibus æternis, cælorum tecta coruscant,
Et TYSZKIEVICII laudibus, ampla Domus.

ALIVD.

O Luna TYSZKIEVICIÆ felix domus,
O Stella, mundo Lechico pulcherrimè,
Sæclo perenni, vestra lux effulgeat.

Ad Illustrissimum Dominum, Dominum

IANVSSIVM SKVMIN TYSKIEWICZ,

MÆCENATEM AMPLISSIMVM.

CONTEMPLATRICIS *Philosophiæ, oracula quædam selectiora, Jllustrissimæ Celsitudini Vestræ, animo oblata paratissimo, & voluntate ad obsequendum deditissimâ, exopto esse quàm gratissima & acceptissima. Esto namq; non grauatim concedam, maius non esse, haustu frigidæ, aut pomi conspectu nobilioris, istud donarioli precium; sentio tamen magnum esse, quicquid â magnis gratificandi causis deriuatur. Quod si ea quæ iura sanctioris dictant gratitudinis, mole sua, ac non natura sunt humilia, profectò eiusdem monitricis consilium me complexum esse fateor, vt si tantò gratior esse vellem, Te meum patronum ac protectorem, exteriori isto pietatis internæ documento venerarer. Jmperio pietatis, si quis quod præstare potest faciat, errori nihilominùs factum suum sit futurum obnoxium, non excuso: dum modò publicè planum faciam, à me conquiri modos omnes, quibus ampliorem in me Jllustriss. Cel. Vestræ amorem prouocarem. Virtus hæc, in animis iuuenum, nunquã vigore suo fuit destituta erga patronos, quorum amore postquam semel inflammauerat animum, omnia illi magna, causâ eorum quos veneratione obsequentissima colerent, potuit imperare. Fabricam structuræ quam offero paruitate sua exiguam esse non diffiteor, at quod fragrantem velut rosarum Sancti Doctoris spiret doctrinam; quod eam in augusto Academiæ Cracouiensis, alias artes optimas pertractando, bienniȷ cursu, collegerim plantario; quod â tali animo qualis est meus, ad promerendum ampliùs fauorem Jllustrissimæ Celsitudinis Vestræ proficiscitur; hinc iam quisq; se ipsa maiorem esse, quisquis rectò pollet animi iudicio fatebitur. D. Thomas Doctor est Angelicus, cuius hic doctrina ex antesignano Philosophorum Aristotele saluberrimè delibata proponitur. Academia Cracouiensis, virtutum, & literarum, altrix est in regno generalis, tot viros, tantæ complexa eruditionis, laboris, & honoris, vt firmamenti sydera maioris & minoris magnitudinis æmuletur. De meo animo illud dicam modostissimè, quo primùm die computari se in numerum Clientum Jllustrissimæ Cel. Vestræ intellexit, illicò inflammatus ad continuò & deuotissimè inseruiendum, illud sollicitè menti cæpit inculcare, omne tempus circumspiceret, quo, quibus posset rationibus, luculentissimum suorum Votorum ac desideriorum, vt potè publicum daret, documentum. Moderno tamen tempus propius, debitor ille moræ impatiens, non aduertit, quo ad persoluendum quod debebat, auspicatò ingrederetur. At neq; serò fortasse comparet exolutor, qui debitum integerrimum recognoscit, etiamsi centies & ampliùs persoluerit. Quid quod res ipsa, operâ bienalis assiduitatis, maturiùs comprehendi non potuit, & comparatæ, non multùm diuq; gratiosi protectoris quærendum erat patrocinium, persistente in animo, perenni Jllustrissimæ Cel. Vestræ tot amplissimorum beneficiorum iucundissima memoria. Quæ si tam clara tamq; luculenta in me nunquam extitissent, splendor tamen patrius, Virtutum tot clarissimarum Jllustrissimæ Cel. Tuæ diffusis in*

fusis in omnes partes radiorum luminibus, animum etiam peregrinum, ne dicam domesticum, in sui non tantū admirationem, sed etiam prædicationem, potuit rapere, non solùm inuitare. Et tamen nunc illud ego consultò non faciam, vt vel Natalium Illustrissimæ Cel. Vestræ prædicationi, diutiùs insistam, aut singulas ætatum progressiones, exaggerando ad applausum faciam admirandas. Neque enim mentem Illustrissimæ Cel. Vestræ, hoc affectare mecum constituo, quem sine multa verborum profusione, omnes qui vim laudis veræ norunt laudatissimum esse non verbis sed animis consentientibus attestantur: neque ego me in eorum cœtu repono, qui æque vt par esset vocalem vitæ panegyrim Illustrissimæ Cel. Vestræ queam in publicum producere singula quàm breuissimè attigisse suffecerit, & illud in primis, Illustrissimã Cel. Vestrã, diuina benignitate, sanguine atq; satu, Illustrissimi parentis THEODORI SKVMIN TYSZIEVICII PALATINI NOVOGROD: *Viri omnium annalium voce, omnis æui memoria propter virtutum splendorem, & rerum gestarum magnitudinem, longè dignissimi, esse oriundum.* THEODORVM *nomino, Parentem Tuum Illustrissime Domine, Ciuem diuino planè munere atq; clementia, vsibus patriæ deditum; maiorum suorum gloriæ promotorem & assertorem fortissimum, feruentissimum: Tuarum heròicarum pro Deo & patriâ aggressionum, exemplar ad viuum expressum, ac verè vnicum, quia tanti genitoris, patrijs pro patriâ lineamentis meritorum, pulcherrimè circumductum. Magnum est atq; Illustre naturâ sua diuini genus beneficij, magnis proditum esse generis ac sanguinis natalibus, longè tamen illustriùs ac multò est ampliùs, maiorum magnitudinis, æmulatrice Virtute, succrescere, amplificari, conseruari. Peculiari genere pietatis obstringuntur, clarioris cuiusq; prosapiæ successores; vt quo ampliores nacti sunt, splendore virtutis, atq; dignitatis prodromos & maiores; tantò ipsi incumbant solidiùs, ad omne decus & iter vitæ præclarioris, quod dum viuunt pergant decurrere sublimiùs & auspicatiùs. Fecit hoc cumulatissimè Illustrissimus parens Tuus, gloriæ domus* TISZKIEVICIANÆ *propagator acerrimus, fecisti Tu Illustrissime Domine; facis, atq; vtinam quam diutissimè bono patriæ superstes facias; cum maiorum tum parentis Tui imitator & amplificator virtutum, quâ bello, quâ pace, felicissimus, æquissimus. Cui namq; excidit* THEODORVM TISZKIEVICIVM, *duobus potentissimis Regibus, & fortissimis patrij Regni propugnatoribus,* STEPHANO *atq;* SIGISMVNDO, III. *pro multis & grauibus in Remp. promeritis longè omnium carissimum, & honorum accessione dignissimum extitisse? Quærebatur* STEPHANO *Regnante, orator cultus & circumspectus, ad Moschum ipsa cæli asperitate inciuilem principem. Iuit* THEODORVS TISZKIEVICIVS *ad tanta Regni & magni Ducatus Lithuaniæ obsequia; vel vitæ discrimine cumulanda paratissimus; iuit magnanimus, vultum ferocem Tyranni impotentis, imperterritus conspecturus; insanam gentis barbaricæ perfidiam, si necessitas eo vocaret, æquo animo laturus, priuatam vnius vitam & salutem communem patriæ, non pari, quod fas est bonum Ciuem præstare, pensans æquilibrio. Verùm Deo fauente qua incolumitate abijt, eadem redijt. Ac tametsi rudi & barbaro auditori disertus Orator concordiam persuadere non potuit; instructa tamen iussu Regis acie, pacem confuso Dynastæ suasit, & inuito persuasit. Sed prolixum est nec istius aut paginæ, aut temporis, in lucem promerita eius vocare vniuersa.* SIGISMVNDO *Monarchæ, Regum Maximo & sapientissimo, quam bonus, fidelis, gratiosus, quàm Ciuis patriæ commodus, videretur; accesio honoris*

Palatinatus

Palatinatus Nouogrodensis, qua ab illo Rege sanctissimo publicè ornatus extiterat, planum fecit. Enimverò sunt ista, aliaq; quàm plurima, & clarissima Jllustrissimi parentis. Tui in Rempub. suæ virtutis, laborum, fidei, testimonia: quæ Ciues optimi, iucunda & recenti memoria, fouent & complectuntur. Ingeminari in luce Regni publica, & per ora virorum clarissimorum. verissimè circumferri audimus, & lætamur; THEODORVM SKVMIN TYSKIEVICIVM, IANVSSII parentem, legationem ad Moschum, STEPHANI Regis nomine, vt fas erat illum virum obiuisse; bello contra Tyrannum iussu Regis suscepto præfuisse, in euentu belli, qui plerumq; est dubius & formidolosus dimicatione & virtute bellica superiorem extitisse; Polociam cepisse, in Liuonia rebus componendis, operam industriæ plenam nauasse, à SIGISMVNDO pro tantis in patriã & Reges officijs & periculis, Palatinatu Nouogrodensi cumulatum extitisse. Nimirum prædicta omnia Jllustrissime Domine ita parentis Tui propria extiterant; vt in Te magna pars illius gloriæ cõmuni omniũ iudicio deriuetur. Tantò magis quod si res à Te ipso gestæ eis comparentur, simillimus parenti natus, non tantùm sanguine, sed factorum illustri gloriâ reputeris. Tua sunt quæ Tui genitoris, vicissimq; illius quæ Tua sunt. Ita hæc sunt vtriusq; Vestrum communia; vt singulorum sint quædam separata, & peculiaria. Nam quicquid in patria, pro patria, indefessis Tuis collectum est virtutibus, pro quibus conquirendis, infractos animi labores, exhaurire nunquam dubitasti; Tuum esse proprium quis negabit? Negare si tantum est impudens audeat vel ipsa inuidia, quid quantumue fidei, laboris, impensarum, officiorum, SIGISMVNDO III. bellatori olim felicissimo, in illa diuturna satis & periculosa; attamen Regi, Ciuibus, Regnoq; toti, gloriosa obsidione impertysti, præstitisti. Nam cum lacertis Tuis alioqui tunc vegetis, & ad sustinendos impetus hostiles paratissimis, magna pars militiæ Magni Ducatus Lithuaniæ, contra hostem dirigenda incubuisset, virum Te præbuisti bellatorem. Ibi tum magnanimos maiorum Tuorum ausus, imitator gloriæ illorum eximius confirmasti, sollicitus de vindicandis iniurijs, & hoste domando, qui nihil aliud spiraret, nihil moliretur, quàm cædem bonorum, atq; imminutionem cum latifundijs vicini Regni libertatis. At quantò ipsum seruire fuerat commodiùs, qui vel quod natura extet seruus, eo quod sit barbarus; quibus imperare alios æquum esse non nemo admonuit: vel quod cupiditate barbarica inflammatus, aliena inuadendo diriperet; solo æquaret; vel quod gentem barbaram sola crudelitate cohercet seruitutis: libertas autem Regni nostri ferre nunquam eos didicerit, qui vlla sæuitiâ, vexare illam aggrediantur. Hæc cum animus Tuus secum accuratiùs omnia ponderaret, Achillea quasi virtute belligerandi exarsit, & quantùm virtute militari valeret: probauit, quidq; stragis, in hoste profligando facere posset, non verbis, sed re, factisq; erudiuit. Nimirum Regi tunc SIGISMVNDO, præsenti Smolensci oppugnatori, virtutem, & industriam Tuam bellicam probatam esse voluisti, & Ciues fortissimos, alios vitam cum sanguine profundentes, alios ad profundendum eandem pro patriâ paratissimos, viuis exemplis, & periculis, ex quibus diuino eripiebaris auxilio, animasti. Quid multis in campo Hector aut Achilles; in dandis hosti subiugato conditionibus, Vlisses, aut Nestor, vnâ cum viris & Ciuibus patriæ clarissimis, extitisti. Quis ergo Te, tot erga patriam cumulatum promeritis, limis oculis intueri potuit; primò quidem Mscislauiensem dein-

ſem, deinde Trocenſem Palatinum? quis nunc niſi rerum à Te geſtarum ignarus miratur, quis non potiùs bonorum lætatur, & gratulatur, aſſignatum eſſe debitum virtuti præmium; cum Palatinus Vilnenſis, quod Tibi cupimus longiſſimum, & fortunatiſſimum, diuino beneficio & Sereniſſiimi Domini VLADISLAI IV. Regis ac Domini noſtri clementiſſimi, & inuictiſſimi Regia beneficentia, haberis & diceris. Ad eius Regis ac Monarchæ glorioſiſſimi obſequia, & commoda Patriæ ampliorá præſtanda, vt mandato Imperatoris Dei Opt: Max. Jlluſtriſſima Cel. Veſtra vita diutiſſimè ac feliciſſimè perfruatur Cliens intimus exopto.

CONSTANTINVS CASIMIRVS RAIECKI.

TRIA-

TRIASMVS.

MONAS EIVS PRIMA,

PHILOSOPHIA IN COMMVNI.

1. PHILOSOPHIA, diuinarum & humanarum rerum cognitio, in communi, per ſpeculatiuum, & practicum; ac ſpeculatiuum, iuxta gradus abſtractionis, in habitus reales diuerſos ſpecie diſtribuitur.

2. Finis ſpeculatiuæ, eſt veri comtemplatio, in qua, hominis beatitudo formaliter conſiſtit.

3. Hinc ſequitur aliud eſſe Philoſophari ſeriò, aliud veritati imponentẽ agere ſophiſtam; docet ille, hic decipit; ille quo ad res patitur erudit demonſtrando; hic irridet deludendo, ille veras contradictiones manifeſtat; iſte apparentes obtrudit: quid multis? quantùm iſte tortuoſis valet incautos implicare mæandris; tantùm ille, ope Logicæ, vt filo Ariadnes adiutus, animis deceptorum, in libertatem veri iudicij, incumbit vindicandis.

DE LOGICA IN COMMVNI.

4. Logica, progreſſum genuinũ in ſcientijs facere volentibus; in addiſcendo cæteris præmittenda eſt; vt potè ſimpliciter ad illas neceſſaria, ne oſcitantes moniti neglectores, infami allidantur ſcopulo, quo cautiores vetantur, ſimul ſcientiam, & modum ſciendi quæritare.

5. Omnia vero conſonant, quæ de genere Logicæ dicuntur; eſt illa facultas, in vtramq; partem diſſerendi; eſt ars ſpeculatiua, eſt modus & inſtrumentum ſciendi; eſt inſuper vera ſcientia, non practica, ſed ſpeculatiua, actuum rationis per ſecundas intentiones directiua. Obiectum ei differentiam ab alijs tribuens, eſt Ens rationis, realium ordinabile. Docens, & vtens, ita illam diſpertiunt; quod vnum realem habitum conſtituant. Pro fine cognitionem obiecti, ac paſsionum ſuarum habet; quo, ad perfectẽ cognoſcendum ſcientias ducimur.

ENS

6. Ens naturæ, verum eſſe in rebus habet. Ens rationis eſt à ſolo effectore intellectu cognoſcibile; duratq; quamdiu illi obijcitur. In communi ſumptum, in priuationes, negationes, quæ per ſpecies habituum oppoſitorum cognoſcuntur; & tandem in relationes rationis, diuiditur. Sub his cadunt Entia Logica, ſecundarum notionum, per reflexam, eamq; comparatiuā cognitionē apta generari.

7. Eſſe viſum, cognitum, intentio ſecunda formalis, non ſunt Entia rationis; eſto ſunt obiectiuæ notiones, quæ per excellentiam, relationes rationis nominantur. Ex quo fundantur ſupra rem vt cognitam, paſsio earum eſt, eſſe veritatis oſtenſiuas. In concreto ſumptæ. Prædicantur de formis abſtractis accidentium, non item de formis ſubſtantialibus in abſtracto.

VNIVERSALIA IN COMMVNI.

8. Dari à parte rei, & in eſſendo, naturas vniuerſales, abſque ſingularitate ab intellectu attingibiles; quibus abſtractis aduenit vniuerſalitas, & aliæ.

9. Vniuerſale eſt vnum, aptum eſſe in multis: in quo nulla vnitas formalis poſitiua, numerali minor reperitur; ſed ſaltem conuenientia & conformitas, naturæ vnius cum alia, quo ad prædicata eſſentialia, quæ per intellectum præciſa habent & vnitatem, & ad eſſendum aptitudinem poſitiuam.

VNIVERSALIA IN SPECIE.

10. Singulorum definitiones, & diuiſiones, rectè à Porphyrio traditæ. Genus de pluribus ſpecie, ſpecies de differentibus numero, cum differentiâ prædicantur. Proprium, per ordinem ad inferiora ſpeciei: accidens per reſpectum ad ſubiecta; in eſſe prædicabilium cōſtituuntur. Nec genus, nec ſpecies, formaliter in vno inferiorum poſſunt conſeruari. Indiuiduum determinatum, de vno ſingulari dicitur; vagum, dicit naturam cum modo eſſendi particulariter qui communis eſt.

ANTEPRÆDICAMENTA, CATEGORIÆ, ET poſtprædicamenta.

11. Prima; ternario numero: ſecunda, decem diuerſis primò generibus: poſtrema quinque communium terminorum acceptionibus & diſtinctionib' explicantur. Notiones tā antepraedicamentorū quā categoriarū ſi quid cupiā heſitāti, ſcrupuli inijciūt, oppugnētur.

ANTEPREDICAMENTA IN SPECIE.

12. Vniuoca dicuntur, quorum nomen commune eſt, & ratio nominis eſt eadem. Contra, æquiuoca, nomen idē habent, ſed rationem nominis diuerſam. Denominatiua, ab vno ducta nomine, ſolo caſu differunt. Voces, in eas quæ dicuntur incomplexæ, & in complexas: res, in ſubſtantiam vniuerſalem, vel ſingularem; item in accidens ſingulare, & vniuerſale, rectè diuiduntur.

PRÆDICAMENTA IN SPECIE; ET primò ſubſtantia.

13. Rectè formalis ratio ſubſtantiæ, explicatur per eſſe per ſe. Diuiditur in primam, & ſecundā, vel vt ſubiectum, in accidentia, vel vt accidens, in ſubiecta; vel vt accidens, in accidentia, prout ſumpſeris. De ſex illius proprietatibus legitimis, nulla eſt controuerſia.

QVANTITAS.

14. Quantum, eſt in ea, quæ inſunt diuiſibile, quorum vtrumq; aut ſingulū, vnum quid & hoc aliquid aptum eſt eſſe. Vt formæ ſubeſt, ei repugnat diuidi in infinitum. Species tàm continuæ vt linea, ſuperficies, corpus, quàm diſcretæ, benè aſsignantur; cum & vltima vnitas, ſit forma numeri & menſura orationis. Eſſe menſurabile, diuiſibile, extenſiuum partium ad locum, non eſt ratio Quantitatis, formalis.

RELATIO.

15. Eſt Ens prædicamentale, rationē ſui conſtitutiuam habens eſſe Ad. A parte rei à fundamēto diſtinguitur. Demptis relatiuis tertij generis, quæuis alia terminatur ad reſpectiuum. Vnitatem numeralem à termino obtinet; diuerſitatē ſpecificam à fundamento.

QVALITAS.

16. Eſt id, quo primò & per ſe, quales accidētaliter nominamur. Quatuor habet ſpecies, quarum habitus & diſpoſitio realiter; duæ proximæ, ſecundùm magis & minùs perfectum differunt, vltima rectè quantitatis terminus nuncupatur. Proprietates habet legitimas.

SEX VLTIMA PRÆDICAMENTA.

17. Nō ſunt extrinſecæ denominationes; nec relationes extrinſecus aduenientes, ſed Entitates quamuis exiguæ, & ab extrinſeco pendentes, ipſæ tamē in ſe abſolutæ. Hinc actio eſt realitas, qua potentia actiua in actu cōſtituitur, ſimiliter paſsio illud eſt quo paſſum

est in actu secūdo. Vbi forma est resultans in corpore, ex loci circumscriptione. Quando relinquitur ex tempore. Situs partium est in loco dispositio. Habitus id quod ex adiacentia resultat alterius.

LIBRI DE INTERPRÆTATIONE.

18. Tàm nominis quàm verbi natura, benè à Philosopho explicantur: item & oratio, cum dicitur esse vox significatiua, ad placitum, cuius partes separatæ aliquid significant vt dicto, non vt affirmatio & negatio. Ab effectu in perfectam & imperfectam diuiditur. Diuisio eiusdem per vocem & significationem est essentialis; per partes quib⁹ constat integralis, per partes subiectiuas, totius vniuersalis.

ENVNCIATIO.

19. Est oratio, in qua vnum enunciatur de altero: dicitur & oratio verum vel falsum significans indicando. Est vna vnius ordinati conceptus qualitas. Ad penetrandos eius terminos, notitia suppositionis, ampliationis, restrictionis, alienationis, appellationis supponenda est. Diuisiones eius, quotquot ex diuersis Philosophi locis assignantur, sustinendæ sunt.

20. Esto veritas in communi, sit rei cum suis principijs conformitas; tamen formaliter sumpta, est intellectus componentis & diuidentis, cuius est perfectiua, adæquatio; quo ad rem cognitam seu intellectam. Tam veritas quàm falsitas accidunt propositionibus; exceptis proprietatibus, quæ mutuā illarum habitudinem consequuntur; & sunt tres oppositio, æquipollentia, conuersio.

21. Fatalem omnium quæ aguntur necessitatem quis proteruè adstruat; vel actionum libertatē auferat; quando prima radix contingentiæ sit diuinæ voluntatis efficacia, proxima, causarum secundarum defectibilitas. Propositiones de futuro contingenti ratione causæ im̄utabilis, sunt determinatæ veræ aut falsæ: at quæ pendent à causis mutabilibus ad vtrumlibet sunt indifferentes.

DEFINITIO, ET DIVISIO.

22. Isti sunt duo modi sciendi, ab argumentatione distincti. Definitio, quæ est oratio, naturā rei explicans, & Diuisio quæ est oratio, rem per sua membra; & terminum seu nomen commune, per suas significationes dispertiens. Definitionis est, esse bonam vel malam, rei definitæ propriam, definito clariorem &c.

23. Diuisionis est, accipi per partes oppositas, totum diuisum exhaurire &c. Definitio aut est rei, aut nominis, & realis, vel est essentialis, idq; vel Physica, vel Metaphysica; vel est descriptiua, vel causalis.

causalis. Diuisio, secundùm variam acceptionem totius, quod est vniuersale, actuale, accidentale, virtuale, integrale, &c. variè diuiditur.

LIBRI ANALYTICI PRIORES, & posteriores.

24 Discursus, qui in communi est motus intellectus, ex cognitione vnius rei in aliam, pluribus constat notitijs; quem illationis bonitas, vt sua proprietas consequitur. Adæquatè, per consequentiam; & argumentationem diuiditur. Argumentatio, syllogismum, & inductionem continet. Diuisio syllogismi etsi varia sit, tamen in ea conditio, vel materiæ, vel formæ attenditur.

25 Ex conditione materiæ, syllogismus probabilis, medio verisimili opinionem accersit, sophisticus, fallaciæ fuco ad deceptionem vtitur. Apodictici finis est scientia.

26. Omnis doctrina, & omnis disciplina discursiua, fit ex præexistenti cognitione. Præcognitiones sunt An sit, & Quid sit, præcognita autem, subiectum, passio, principium.

27. Cum prioritate naturæ, præmissarum ad conclusionem, stat simultas temporis, per quam eodem instanti, ab intellectu benè disposito cognoscuntur.

NATVRA, DEMONSTRATIONIS.

28. Gemina definitione explicatur. Prima est, quod sit syllogismus scire faciens. Secunda; quod constet ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, causisq; conclusionis. Diuisio eius adæquata, est in propter quid, & quia est. Cum medium demonstrationis sit definitio subiecti; quid prohibet, scientiarum subiecta posse demostrari. Diuiditur item in subalternãtem, & subalternatam, tanquam veram scientiam.

EFFECTVS DEMONSTRATIONIS.

29. Est ipsa scientia, quæ est rei per causam, propter quam res est cognitio, & quia hoc non contingit aliter se habere. Ex causa effectiua, esse dicitur habitus, demonstratione acquisitus.

HABITVS PRICIPIORVM.

30. A potentia intellectiua distinguuntur. A natura inesse dicuntur, concurrente notitia extrinseca, qua excitantur. Probabilia à certis, & practica à speculatiuis, specie distinguuntur. Similiter opinio, fides, scientia, solertia; ita vt simul in eodem intellectu, eodem tempore, de eodem subiecto, non posint consistere.

SPECIFICATIO SCIENTIARVM.

31. Aurea, non tantùm quia ardua, ſed quia veritati conſentanea doctrina eſt, vnitatem athomam ſcientiarum, ſumendam eſſe, in eſſe ſcibilis, ex diuerſa ratione obiecti, non Quæ dictâ, ſed ſub Qua: cuius diuerſus âbſtractionis gradus, à Philoſopho 6. Met: cap. imo declaratus, fundamentum eſt ſolidiſsimum. Hinc quæuis ſcientia, eſt vnus ſimplex habitus, idq; nihil obſtante, Entitatum rationis Quæ; diuerſitate.

TRIASMI MONAS ALTERA.

SCIENTIA NATVRALIS, METHODVS PROcedendi, principia in communi.

32. De rebus naturæ, ſub modo immaterialitatis debito ſumptis, datur ſcientia Entis mobilis, eiuſq; principiorum, cauſarum, partium ſeu ſpecierum, proprietatum contemplatrix; in naturalem, Mathematicas, Metaphyſicam, diſtributa.

33. Adæquatum illius obiectum, eſt Ens mobile, vt mobilitas, radicem dicit motus, in omni rerum natura reperibilem, prout per rationem abſtractionis, à materia ſingulari, conſtituitur.

34. Bonus doctrinæ ordo, & proceſſus in cognoſcendo ſeruatur, cum ab vniuerſalioribus, & naturâ notioribus, ad minùs vniuerſalia, & nobis notiora, proceditur.

35. Principia in communi ſunt, quæ neq; ſunt ex alijs, neq; ex alterutris, omnia verò fiunt ex ipſis. In fieri ſunt contraria, in facto eſſe non. in quo ſenſu, priuatio & forma, dicuntur prima contraria.

PRINCIPIA IN SPECIE.

36. Tria ſunt, Materia, Forma Priuatio. Duo poſitiuè rem naturalem perficiunt, tertium ad introductionem contrarij, à ſubiecto remouetur.

37. Materia prima dicitur, cum abſq; omni forma concipitur; vt eſt ſub forma ſecunda eſt. Prima eſt Ens purè potentiale; productum in tempore, ſeu veriùs comproductũ rebus ab illo principio; cui ſoli ſemper fuit, & eſt liberum, aliquid ex nihilo producere. Incapax exiſtentiæ per omnem potentiam. Eſt ingenerabilis & incorruptibilis, eſto ſit radix corruptionis. Formæ naturaliter paſsiuè flagiatiua. Vnitas ei debetur numerica, negatiua. Eſt illi quantitas interminata coæua radicaliter.

FORMA, PRINCIPIVM NOBILISSIMVM.

38. Eſt actus primus, dans rei cuius eſt, eſſe per ſe. Compoſitio virtualis, eius ſimplicitati non præiudicat. Naturales formas, nõ præexiſtere in materia, neq; latitare, neq; à participatione Idæarũ, vel intelligentia datrice formarum deriuari, certum eſt: ſed benè verum, ipſas educi de potentia materiæ, idque cum ſunt ſubſtantiales; nam accidentales, à proprio ſubiecto dicunt dependentiam, ſed ſuſupernaturales, de potentia obedientiali, proprij ſubiecti educuntur. Subſtantialis forma, immaterialis creatur.

PRIVATIO.

39. In fieri eſt principium per ſe, dicens carentiam formæ in ſubiecto; quæ cum acquiritur; à priuatione, vt à termino à Quo, fit receſſus, qui ſola ratione ibi eſſe concipitur. Tot formæ illi opponi intelliguntur; quot natæ ſunt ſuccesſiuè recipi in materia.

COMPOSITVM NATVRALE.

40. Conſtat ex partibus eſſentialibus per ſe; ſic, quod totum compoſitum, non eſt tertia Entitas, ſuis partibus ſimul ſumptis & vnitis ſuperaddita. Ac vnio ſaltem eſt relatio; quæ extrema actu vnita conſequitur; à quibus totum, ſaltem ratione ratiocinata diſtinguitur.

NATVRA & ARS.

41, Recentiorum crudiora cerebella, tam excocto vt erat Ariſtotelicum, de naturæ definitione, fruſtra audent obſtrepere. Eſſentialem tuemur; quando natura dicitur eſſe principium & cauſa, motus & quietis, eius in quo eſt, per ſe, primò, & non per accidens. Arti, vt in effectus naturæ, aliquid juris concedamus; tam practicos eſſe nos diffitemur. Similirudinariæ aliquid facultatis obtineat, eaq; ſit contenta.

CAVSARVM GENERA.

42. Quatuor ſunt, Materialis, Formalis, Efficiens, Finalis. Idæa potiſsimùm ad genus cauſæ formalis reuocanda. Prioritatem à Quo, cauſa quælibet, reſpectu ſui effectus obtinet; & hic ab illa dicit dependentiam. Effectus ſingulis in ſuo genere certum eſt reſpondere. Subſtantiarum creatarum nulla eſt; quæ ſeipſa & immediatè poſſit operari: quamuis ſit radicale principium operandi. Sufficit quoad hoc, relictam eſſe in accidentibus virtutem ſubſtantiæ, quoad operationem proximam; ad effectum producendum, idque ſine partiali & nouo influxu ſubſtantiæ.

43. Materialis est id ex quo fit aliquid, cum per se inest. Causalitas eius, est facta ab agente pasſiua immutatio. Formalis causa, dat esse rei specificum. Efficiens est vnde primò incipit motus. Causalitas eius est actio; seu agere & operari in concreto, in actu secundo. Diuisio effectricis causæ patet multipliciter. Alia est per se, alia per accidens; ea quæ est per se, in principalem, & instrumentalem diuiditur. Iam principalis, aut est prima, aut secunda, aut vniuersalis, aut particularis, aut æquiuoca, aut vniuoca, aut totalis, aut partialis, aut libera, aut necessaria; aut Physica, aut Moralis, &c. Finalis causæ est, mouere appetitũ secundùm realem bonitatem; & in tali actu consistit eius causalitas.

44. Præter virtutem, à principali agente communicari solitam instrumento, requiritur in illo virtus propria; quæ ad operandum instrumentaliter eleuatur. Virtus à principali, in actionem instrumenti deriuata, est præuia motio. Eadem, realiter, omnem causam secundam, ad operandum in actu secundo, applicando determinat.

EFFECTVS CAVSÆ.

45. Quiuis cuiuis respondet in suo genere; ita vt eundem numericè, à pluribus causis poni repugnet absolutè; non idem est de causis partialibus, aut quæ sunt diuersi ordinis.

MOTVS, PRINCEPS PASSIO ENTIS MOBILis; eiusq; definitio.

46. Est actus Entis in potentia, prout in potentia. Continentur sub illa mutationes instantaneæ. Dicitur & actus mobilis, connotatiue ad ea, quæ generantur, corrumpuntur, alterantur, augentur vt Quod. Realiter cum actione & pasſione identificatur; formaliter distinguuntur. Similiter & à termino ad Quem, à quo specificatur. Actio transiens est in passo. Motus datur ad substantiam, Quantitatem; Qualitatem, ad relationẽ non datur motus per se. Vnitas mobilis, termini, & temporis, ad numericam vnitatem; termini; & medij, ad contrarietatem motuum succesſiuam, requiruntur.

ALTERA PASSIO; INFINITVM.

47. Est id, cuius partem quantamcunque acceperimus, semper alia & alia restat accipienda. Actuale & Categorematicum, nullum datur in rerum natura: potentiâ, in Quantitate, & Qualitate, adeòq; in substantia, concedi posſit.

48. Dantur indiuisibilia, tam continuatiua, quàm terminatiua, partium continui, quæ sunt Entia positiua, & realia in illo. Non tamen continuum, ex solis indiuisibilibus componitur. Quando ex parte indiuisibilis, nulla se tenet motus continuitas; ipsum vt tale, non dicitur moueri per se; & si esset in spacio indiuisibili mobile per se; non esset tamen in parte temporis. Continuo, non vt subest termino naturali, non repugnant partes proportionales infinitæ; idq; nec secundùm diuisionem actualem: designatæ repugnant.

NATVRÆ LOCI EXPLICATIO.

49. Quo ad materiale, est superficies concaua continentis, quo ad formale, rectè dicitur esse immobilis, prout à primo distat locante. Hinc neque erit quid substantiale, lucidum, immateriale; neque totum spatium, seu interuallum, quod intra superficiem ambientis continetur. Superficies superioris ambientis, locus est circumscriptiuus, eius corporis quod continetur. Vltima sphæra secundùm partes est in loco, idque in potentia. Locatum conseruare legitima est loci proprietas vnum locatum, simul in pluribus locis esse nequit, esto plura eodem loco circumscribantur.

VACVI IMAGINARIA CONCEPTIO.

50. Si quis concipit locum, nullo penitus repletum corpore, vacuum est conceptum. Nulla virtute limitata; in rerum natura datum reperitur. Si daretur, motus in illo esset, mobilis alicuius in tempore.

NATVRA TEMPORIS.

51. Est Ens extra animam. Quia est numerus motus secundùm priùs & posterius. Existit tantillum, quantum datur Entitatis inter partem immediatè præteritam, & subsequentem instans, quo ambæ vniuntur. Fundamentaliter est in motu primi mobilis, formaliter completur per rationem partes colligentem. Cum sit numerus prioris & posterioris in motu, ab ipso ex natura rei distinguitur.

ÆTERNITAS, ET ÆVVM.

52. Quis primam vel leuiter apprehendet, quantumuis diu cogitet? Adumbratur, cum dicitur; Tota simul, & perfecta, vitæ interminabilis posessio. Entis absolutè immutabilis, est tam secundùm esse, quàm secundùm accidentia, duratio. Et hîc quoq; caligat intellectus. Æuum est duratio rei, secundùm substantiam immutabilis, mutabilis secundùm accidentia.

INCEPTIO RERVM, ET DESITIO.

53. Substantiæ incorruptibiles, & corruptibiles, incipiunt per primum sui esse; sed desinunt istæ, per vltimum non esse. Entia succesſiua, incipiunt per vltimum non esse, desinunt per primum non esse. Ne termini scrupulum pariant, sic accipiuntur. Instans inceptionis intrinsecum & affirmatiuum, est primum sui esse: instans desitionis ei respondens, est vltimũ esse: instans inceptionis extrinsecum, est vltimum non esse; instans desitionis ei respondens, est primum non esse. Vt modos inceptionis & desitionis, ita quoq; terminos magnitudinis, & paruitatis, Entibus in rerum natura constitutis, deberi certum est.

MOTVS GRAVIVM & LEVIVM.

54. A generante illa moueri certum est. Proiecta virtute proijcientis impelluntur. Quod mouet, approximatum sit oportet; aut contactu, suppositi, aut saltem virtuali. In distans, non potest agere.

PRIMVS MOTOR VT LVMINE NATVrali cognitus.

55. Hîc seipso maior Aristoteles, cum docuit, Omne quod mouetur ab alio moueri. atque subiunxit quod; In motibus eiusmodi datur essentialis subordinatio ita vt non sit processus per infinitum; quid restabat inferendum naturaliter, quam quod intulit, dari primũ mouens, vnum, immobile, independens ab alio, infinitæ perfectionis, & essentiæ; idem esse actum purisſimum, simplicisſimum; esse vbiq;, se & omnia intelligere, velle seipsum, & alia omnia in se cognoscere: Ens esse æternum, æternæ felicitatis, & amoris.

EX LIBRIS DE CÆLO.

56. Cælorum natura est simplex, quamuis orbes singuli constant ex materia & forma. Substantia illorum non est elementaris, sed multò præstantior. Forma sua cælo vnitur vt motor mobili, & per contactum mouet virtualem, cũ dependentia à primo motore immobili. Porrò cum materia sit propter formam, & forma cæli diuersa sit à formis sublunariũ, materia eiusdẽ diuersa est orbiũ singulorũ.

QVALITATES CÆLORVM.

57. Cælum est ingenerabile, incorruptibile, immune à qualitatibus alterantibus non graue, non leue, non calidum, frigidum, nisi eminenter. Quod positionum differentias numero sex obtineat sursũm, deorsũ, dextrũ, sinistrũ, ante, retrò, nec tamen sursum vel deorsum feratur; mirare & oppugna si placet.

MOTVS CÆLORVM.

58. Eſt vniformis, æquabilis, circularis, & planè naturalis. licet ſit à principio extrinſeco.

NVMERVS ORBIVM.

59. Octonario, à Philoſopho comprehenſus, Neoterici nec fortaſſe immeritò, ad duodenarium proceſſerunt. Infima ſpecie inter ſe diſtinguuntur. Quanto ſpacio ſinguli reuolutionem ſuam conficiant, aſſentimur Mathematicis.

ACTIO CÆLORVM.

60. Efficiſsima eſt; illâ enim cum ſuo motu ceſſante, ceſſarent actiones inferiorum; quæ ab illis dicunt dependentiam. Tanta efficacia, in voluntates humanas, nunquàm directè agit; primo libertatis noſtræ vetante principio. Agunt tamen in hæc inferiora, non tantùm motu, ſed & luce, & occultis qualitatibus.

SYDERA STELLÆ, PLANETÆ.

61. Aſtron Græcis, Latinis dicitur ſydus, ſignum eſt compluriũ ſtellarum figura coactum: vt arietis, leonis, Perſei &c. Stella vnum quid eſt numero; Ariſtoteli pars ſui orbis denſior. Quo natura earũ quàm orbis præſtantior arguitur. Aliæ fixæ ſunt, quæ eandem defixæ firmamento, ſeruant inter ſe diſtantiam. aliæ erraticæ, quæ quaqùa verſùs motibus euagantur liberrimis. Sunt ſeptem, Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iupiter, Saturnus.

62. Solis & Lunæ maculas, ingenioſi ſcholæ Mathematicæ profeſſores promoueant. Philoſophi ſimpliciores, obtutus hebetioris, nullas in ſole poſſunt intueri. Credunt interim hoc ſtrenuè affirmantibus; priusquàm ætas conſequens; nouas opiniones auſit identidem adſtruere. Illud certiùs, ſtellas, gradus certos magnitudinis obtinere, quæ Aſtronomi vbertim explicant.

EX LIBRIS METEORORVM.

63. Mixtorum inanimatorum, alia ſunt corpora perfecta, quæ tranſmutatis elementis, formas ſuſtantiales habent: alia imperfecta, quæ magna ex parte, formas elementorum retinent. Vocantur ea, quæ in ſublimi generantur; & prout ſunt eleuata conſiderantur. Principia eorum, vapores, & exhalationes: quæ ab elementis ſpecie non diſtinguuntur. Subiectum ipſorum, eſt corpus ſimplex ad miſtionem diuerſorum imperfectam mobile.

64. Vapor, eſt halitus ſeu expiratio ſubtilis, calida & humida,

quæ ſolis radijs, ſurſùm ex aqua prouocatur. Qui ſi in aquis includitur, thermas, & mineralia generat. Exhalatio, eſt halitus terræ calidus & ſiccus, ex terra, vi ſolis & aſtrorum, in ſublime eleuatus; cuius aduſtio, generationi ſiccorum Meteororum accomodatur. Hinc venti, tonitrua, fulmina, Cometæ. Aqua; & terra, remota ſunt ex parte materiæ, meteororum principia.

65. Formale principium & cauſa meteori, eſt forma vaporis & exhalationis, ſibi debita forma peculiari terminata, vt quod Cometes ſit crinitus, halo rotundus, iris arcuata; ros ad inſtar gemmarum conformatus.

66. Cauſa efficiens, vel eſt ſupernaturalis; diuinum beneplacitum, hoc vel illo tempore, talia meteora prodire iubens; vel naturalis, eaq; vel principalis, vt eſt ſolis virtus & influxus; vel inſtrumentalis, vt eſt qualitas proxima, quæ ad productionem impreſsionis immediatè agit; vt calor ad calidum meteoron, frigus ad frigidum producendum.

67. Cauſa finalis, Dei voluntas aliquid prænuncians. Qualis erat circulus, Auguſto, à ſybilla, cũ virgine paruulum geſtante, mõſtratus. Quo fine accenſi ardent non raro Cometæ, motus terræ, flãmæ montium formidoloſæ, imperia in pænam ſcelerum deuorantes, permittuntur. Naturalis iſtorum finis vniuerſi perfectio; elementorũ repurgatio; dependentiæ inferiorũ à ſuperiorib⁹ manifeſtatio.

LOCVS GENERATIONIS METEORORVM.

68. Terra, eorum quæ in eius viſceribus includuntur. Aer tamen cum ſua triplici regione, eſt illis multò accomodatior.

69. In ſumma regione, vera ignea viſuntur. Cometæ, Pyramides, Lampades, ſcintillæ volantes, Aſub aſcendentes, & quorũ materia eſt calida & ſicca exhalatio: quæ ſi non vehementer ſurſùm feratur, ob non excellentes Qualitates, eſt cauſa A ſub deſcendentis, Draconis volantis, ſtellæ cadentis, A ſub deſcendentis, &c. quæ in media conſiſtunt regione. Aquea ſunt, quorum materia vapor variè diſpoſitus: Grando, nix, pluuia, ros, pruina, mel, manna, &c.

70. Terrea dicuntur venti quorum materia eſt vapor exhalatus, ſiccus & terreus, qui cum ſit leuitatis exiguæ; delatus ad ſecundam regionem àëris, ibiq; addenſato, inferiùs propellitur. Quos tandem in obliquum ferri & àërem commouere oportet. Quatuor ſunt principes, Subſolanus, Auſter, Septentrio, Zephyrus. Eorum collaterales non pauci. Turbo, Ecnephias; Typhon, Præſter ſunt violenti. Qui venti prouinciales nominentur, Plin: vide lib: 2. cap: 40.

71. Gaudet natura, non omnia perſpecta eſſe indagatori ſui; fatetur

tetur iste, ignorari causam motus maris legitimam.) Cæli influxum, ne nihil nosse videatur prætendit. Altitudo partis septentrionalis, ratione australis, probabiliter cũ Philosopho sustinetur. Quod si ad Lunã recurras; vt diuersimodè à Sole illustratur; quare illa in Horizonte existente, æstus non desinunt?

72. Salsedo maris, indecoctarum exhalationum multitudini tribuitur. At fluminum aqua, per arenosa terræ loca distillata, dulcior efficitur.

EX LIBRIS DE GENERATIONE, & corruptione.

73. Generatio est mutatio, facta in subiecto, de non esse ad esse; vera est mutatio, distincta realiter ab alteratione. Generatio viuentium, est processio à principio viuente coniuncto, in similitudinem naturæ. Subiectum cui inhæret generatio est totum compositum. Terminus generationis vt quo, est forma partis, totalis & adæquatus, est ipsum compositum.

CORRVPTIO.

74. Est de esse ad non esse mutatio. A generatione essentialiter distinguitur; esto in ratione actionis identificantur. Corruptio ab agente per se non intenditur, præsertim particulari. Datur in corruptione rei naturalis resolutio, vsq; ad materiam primam. Neq; sunt eadem numero accidentia, in genito, quæ fuerunt in corrupto.

ALTERATIO.

75. Est mutatio subiecto manente sensibili, in eius passionibus, aut contrarijs entibus, aut medijs. Diuiditur in intensionem & remissionem. Est ad tertiam speciem Qualitatis. In ratione motus est verè motus continuus. Intensio Qualitatis fit per maiorem radicationem in subiecto, & participationem in ipso.

AVGMENTATIO.

76. Est motus à minori quantitate ad maiorem. Ab accretione distinguitur formaliter. Solis competit viuentibus. Iuxta eam manet viuens idem numero, toto incrementi ac vitæ suæ tempore. Partes aliquotas viuentis augeri sufficit, neq; omnes æqualiter.

AGENS & PASSVM.

77. Simile, non agit in alterũ simile. Si agens passo quo ad speciem est simile, cæterùm quo ad gradũ & conditiones agendi est dissimile, sequitur actio. Agens, in materia cum passo conueniens, à qualitate eius contraria repatitur, tàm secundùm eandem qualitatem, quàm secundùm easdem partes.

78. Rectè mistio dicitur esse, miscibilium alteratorũ vnio. Vera est & in liquoribus, quando sunt contrariarũ qualitatũ & specierum.

ELEMENTA; & MISTVM.

79. Elementum est corpus, in quod cætera diuiduntur, in quib' actu inest, aut potentia, ipsum autem est indiuisibile secundùm speciem. Quatuor sunt, ignis, aer, aqua, terra. Ad constitutionem misti, secundùm qualitates refractas concurrunt; quod est elemeta manere in misto virtualiter. Datur temperamentum, in qualitatibus mistis, tam motiuis quàm alteratiuis, quo ad iustitiam. Dantur elementa syncera secundum partes, dantur & formæ illorum substantiales. Est probabile ignem esse in summo calidum & siccum, terrã in summo frigidam, aquam in summo humidam, aerem in remisso calidum & humidum. Qualitates contrariæ, saltem in gradibus remissis, possunt in eodem subiecto consistere. Elementum immediatè ex alio potest generari. Symbola faciliùs in seipsa transmutantur, quàm assymbola. Duo assymbola, generant tertium, quando corrupuntur; symbola non generant.

EX LIBRIS DE ANIMA.

NATVRA ANIMÆ.

80. Anima est actus primus, corporis Physici organici, potentiâ vitam habentis. &; Anima est principium, quo viuimus, sentimus, mouemur, intelligimus. In communi sumpta adæquatè diuiditur in vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam.

81. Intellectiua præcedentes continet, formaliter eminenter. Ideo vna eademq; confert esse vegetatiuum, sensitiuũ, locomotiuũ, & intellectiuum. Animæ perfectorum animalium sunt inextensæ, & indiuisibiles; esto imperfectorum, & plantarum, posśint diuidi. Licet anima intellectiua sit radix diuisibilitatis ipsa tamen est tota in toto, & tota in quauis parte corporis.

POTENTIARVM ANIMÆ GENERA.

82. Quinque sunt, vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, locomotiuum, intellectiuum. Realiter ab essentia animæ distinguntur. Ab anima dimanant per sequelam naturalem. Vnitatem & distinctionem ex obiectis accipiunt.

ANIMA VEGETATIVA

83, Est principium generandi tale, quale ipsa est. Adæquatè diuiditur

uiditur in nutritiuam, augmentatiuam, generatiuam. Nutritiua à calore, & primis qualitatibus realiter distinguitur; & potentia generatiua à nutritiua, & augmentatiua.

ANIMA SENTITIVA.

84. Potentiæ eius, pariter ex operationibus, & obiectis specificantur, & sunt externæ quinque, visiua, auditiua, odoratiua, gustatiua, tactiua. Potentia cognoscitiua, est species obiecti purè receptiua.

OBIECTVM SENSIBILE.

85. Rectè diuiditur obiectũ sensibile, in per se, & per accidens, & quod est per se, in proprium, & commune. Sensus, circa proprium sensibile, per se non decipitur. Motus, quies, magnitudo, figura, numerus, sunt sensibilia quinque communia. Sensus externus, ab excellenti sensibili non tantùm reali, sed etiam intentionali, corrumpitur. Error sensus externi, non est veritas, aut falsitas, nec actio eius reflexa.

REQVISITA VIDENDI.

86. Lux quæ est qualitas naturalis à colore distincta realiter. Est actus diaphani seu perspicui, vt tale est. Color est extremitas perspicui, in corpore terminato. Pupilla suis vestita membranis, cum neruo optico, est organum visus. Visio, fit per reptionem specierũ obiecti in potentia. Est actus vitalis, & potentiæ operatio. Medium visus non debet esse immediatum, sed proportionaliter dispositum.

REQVISITA AVDITVS.

87. Medium confractum, est soni obiectum. Defertur sonus ad potentiam, & intentionaliter, & realiter. Percussio aeris respirati, facta ab anima, vox est. At sonus, est ex forti duorum corporũ collisione, nata qualitas. Echo sonus est intentionalis, ex voce refracta causatus. Organum soni aer in auricularum neruosis inclusus anfractibus.

ODOR CVM SVIS REQVISITIS.

88. Odor est qualitas, nata ex siccitatis suprà humidum prædominio. Eius medium, & aer, & aqua. Organa, processus quidam caruncularum, dicti mamillares, cerebrum versùs protensi, apti constringi & dilatari. Actus eius ipsa odorandi actio, à præsenti obiecto excitata.

REQVISITA SAPORIS.

89. Sapor, est pasſio à ſicco terreſtri in humido, cauſata ex primarum temperie qualitatum. Hoc obiectum guſtus eſt, organum, & medium linguæ caro, & neruus à cerebro in linguam protenſus.

TACTVS.

90. Obiectum eius, qualitates tam primæ quàm ſecundæ; temperamentum eius excedentes. Organum eius neruus eſt, à ſpina dorſi ortum ducens, toto corpore diffuſus, & medio interno coopertus, vnus eſt quo ad ſpeciem athomam.

POTENTIÆ SENSVVM INTERNORVM.

91. Quatuor ſunt. ſenſus communis, imaginatiua, æſtimatiua, memoria. Sunt à corde vt à principio, eſto in diuerſis cerebri partibus diſponuntur. Senſus communis obiecto, exteriorum ſenſuum obiecta, eminenter continentur.

92. Phantaſia, ſenſus eſt, obiectorum abſentium ſpecies percipiens. Æſtimatiua, ſpecies non ſenſatas, ex ſenſatis colligit. Memoratiua, ſpecierũ tã imaginatiuæ, quàm æſtimatiuæ, eſt conſeruatiua.

ANIMA RATIONALIS.

93. Eſt incorruptibilis, per ſe ſubſiſtens, ſpiritualis, & vera forma corporis. Potentiæ animæ ipſi realiter inhærentes, ſunt intellectus, voluntas, ac memoria. Reliquarum ſubiectum eſt coniunctũ ex anima & corpore. Intellectus diuiditur in poſsibilẽ & agentem.

94. Intellectus poſsibilis, obiectum proportionatum, pro hoc ſtatu eſt quidditas ſenſibilis; quod & motiuum dicitur; adæquatum verò quod & terminatiuum, Ens in ſua ſumptum latitudine. Singulare directè ab intellectu non eſt cognoſcibile. Voluntas nulla re cogi poteſt. Memoria ſpecierum intellectus eſt conſeruatiua, nec ab intellectu diſtincta poſsibili.

INTELLECTIO.

95. Eſt vera operatio, non tamen tranſiens, ſed immanens actio. Eius elicitiua, eſt intellectiua potentia, ſpeciebus intelligibilibus informata. Terminatur verbo mentis, à ſe realiter diſtincto. Dictio, non eſt realiter diſtincta operatio, ab intellectione.

APPETITVS RATIONALIS.

96. Præter appetitum naturalem, & animalem, qui in iraſcibilem, & concupiſcibilem ſubdiuiditur, eſtq; cauſa motus localis animalium; datur potentia appetitiua animæ rationalis, habens libertatem,

bertatem, non tantùm suprà suos actus, aut motus inferiorum potentiarum, sed etiam suprà actus intellectus, quamuis ille sit simpliciter perfectior potentia. Obiectum voluntatis, est bonum vniuersale, illam quo ad specificationem necessitans, at respectu boni particularis, semper manet libera, tam quo ad specificationem, quàm quo ad exercitium.

TRIASMI MONAS TERTIA.

METAPHYSICÆ DICTA CONTINENS.

GENVS METAPHYSICAE, & OBIECTVM.

97. In habitum Metaphysicæ, cadit ratio & sapientiæ, & scientiæ. Obiectũ eius Ens reale & per se, commune creato & increato, vt stat sub abstractione, ab omni materia.

98. Habitus metaphysicæ, secundùm speciem athomam est vnus. Ad illum pertinet, rerum omniũ quidditates considerare in communi, non autem quo ad prædicata scientiarum inferiorum propria.

DIVISIO ENTIS.

99. Communissima, in Ens per se, & per Accidens, Entis per se, in reale, & rationis. Omnia prædicta membra, per vnum, & multa, possunt diuidi.

100. Ens reale, subdiuiditur in substantiam, & accidens, in causam, & causatum, in actum, & potentiã. Diuisiones, in ens reale, & rationis, cum sequentibus, sunt analogicæ.

ENTIS CONCEPTVS.

101. Ad DEVM & creaturas, ad substantiam & accidens, non est perfectè ac simpliciter vnus. Ideo vniuocatio Entis, ad prædicta diuisionis membra, locum non habet.

ENTIS ESSENTIA, & EXISTENTIA.

102. Realiter in DEO identificantur, virtualiter distinguuntur, in creatis vt duæ realitates, & etiam in accidentibus distinguuntur.

SVPPOSITVM, & SVBSISTENTIA.

103. Suppositum, supra naturam, addit terminum substantialem, vt complementum illi debitum: quod additum vocatur susistentia, per quam singularis natura, redditur vlteriori termino incommunicabilis. hypostasim Græci dixêre.

ENTIS PASSIONES.

104. Ab Ente, ratione saltem distinguuntur, & sunt quinque, vnum, verum, bonum, res, aliquid.

105. Vnũ est indiuisum in se, & diuisum à quouis alio. Radix indiuiduationis substantiarum materialium, est materia signata quantitate. Accidentia indiuiduantur per substantiam.

106. Verum primò dicit ens, secundò habitudinem. Eius ratio consistit in conformitate, inter intellectum & rem cognitam. Bonũ supra Ens, addit rationem perfectiui.

INTELLIGENTIÆ.

107. Sunt substantiæ immateriales, per se subsistentes, & Entia de prædicamento substantiæ. Sunt compositæ ex genere & differentia, ex actu & potentia, ex essentia & existentia. Singulæ differunt specie. Seipsis jndiuiduantur.

SVPREMVS MOTOR, & FINIS OMNIVM.

108. Est summa, increata, & incomprehensa substantia, intellectualis, in se, & à se, suimet & omnium in se, modo vnico sibi peculiari contemplatrix. Omnia mouens, omnia intelligens, centrum omnis bonitatis per essentiam: vnicus, Maximus & Optimus totius vniuersi Princeps, & Monarcha; cui sit laus, honor, gloria sempiterna, in omni infinitorum sæculorum æternitate.

Sub fælicibus auspicijs Perillustris & Admodum Reuerendi Dñi
D. IACOBI NAYMANOWIC, I. V. D.
Canon: Cracou: Archidiaconi Pilecen. &c.
Vniuersitatis Cracouien: Generalis
RECTORIS.